

„bilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt cer-
„tè, eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine contròver-
„ſa credendum eſt.

V. Conformiter ad hoc Decretum, & diſciplinam jam
„ab aliquot ſæculis in Eccleſia Latina ſtabilitam, Rituale
Mechlinienſe à Jacobo Boonen Archiepiſcopo reſiſum,
& in aliquibus emendatum, de parvulorum Communione
nè hæc habet: „Pueri ad primam Communionem non ad-
„mittantur, niſi prius diligenter examinati & inſtructi,
„eaque diſcretionè & ætate ſint, ut diſiudicare poſſint Cor-
„pus Chriſti. „Addebat in veteri Manuali lub Hovic:
„Communitæ ætas huic rei apta eſt ſole ab anno deci-
„mo uſque ad decimum quartum: ſed illud in hodierno
deletum, relictaque iudicio Parochi aut Confeſſarii ſive
Directoris, qui iudicet, quæ ætate pueri Communionis ſint
capaces: cum alii citius, alii multo ſerius ſigna capacitatis
oſtendant.

VI. Favendum quidem citæ Communioni, ut ejus vir-
tus malitiam ætatis præveniatur, ſed habita ratione non ſo-
lum capacitatis & inſtructionis ipſorum, verum etiã & ma-
ximè probitatis ac pietatis, bonæ indolis atque educationis.

Vnde Rituale Romanum in pueris ad S. Communionem
admittendis, non tantum requirit, ut habeant *cogni-
tionem* hujus Sacramenti, ſed inſuper *guſtum* exigat, qui ſine
probitate ac pietate in ſuſcipiente non habetur: „Iis e-
„tiam, ait, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hu-
„jus Sacramenti cognitionem & *guſtum* habent, admini-
„ſtrare non debet.

VII. Ut autem pueri ritè ad ſacram Communionem diſ-
ponantur ſtatuit S. Carolus in ſua Synodo Dioceſana XI.
„ut Parochi ſingulis menſibus ſemel certa conſtituta die
„pueros qui annos novem attingunt, ad Eccleſiam evo-
„cant, ſigillatimque ad rectam conſtituti rationem inſtru-
„ant regulis in ſacramentali libro traditis: illos autem qui
„decennium attingerint, hebdomadæ ſeptuageſimæ ini-
„tio accerſant, & ſigillatim inſtruant, atque erudiant ad
„cognitionem, cultumque ſanctiſſimi Sacramenti Eucha-
„riſtiæ: doceantque quam humiliter & religioſè reveren-
„terque ad eam ſumendam accedant, & regulis item præ-
„ſcriptis ejuſdem libri ſacramentalis.

Deinde poſt pauca: „Cum de pueris deliberatur, qui ad
„ſacram Communionem accedunt, Parochus quidè per-
„quirat etiã à parentibus, de eorum pietate, & ingenii
„præſtantia, uſuque rationis.

VIII. Ad hæc in inſtructionibus pro adminiſtranda Eucha-
riſtia monet Parochum, ut cum noverit pueros ad de-
„cem annorum ætatem veniſſe, ita ut capaces ſint, qui in-
„tra aliquod tempus Communionem excipiant, „prima
„potiſſimum quadrageſimæ hebdomada, vel ſi melius vi-
„ſum fuerit in Nativitatis feſtis, & hiemis tempore maxi-
„mè in villis, pro eorum commoditate qui alio tempore
„pecoribus invigilant, animarum ſtatum cognoscendo in-
„cumbat, & ut valuerit, eos qui ad ſupradictam ætatem per-
„venerint, aut ſingulos, aut multos ſimul cogat, ut ſuprà
„dictum eſt, inſtruendos Qui autem ex iſis capaces fuerint,
„proximo paſchate communicaturi ſegregentur, diſmiſſi
„in aliud tempus aliis, ut novam circa eos diligentiam ad-
„hibeat.

IX. Inſuper vult, ut Parochus „moneat, ſe neminem ad
„primam Communionem admittendum, niſi præter ſupra-
„dictam inſtructionem, eum ter aut quater audiverit con-
„fitemem.

Excipe tamen ad hæc prævia trina aut quaterna confeſ-
ſione adoleſcentem ſolium alteri Confeſſario confiteri,
„qui teſtimonium ſuæ capacitatis & ad communicandum
„ſufficiant, peccataque ter aut quater confeſſum fuiſſe à
„Confeſſore, qui *timoratus & pius aliunde habeatur*, at-
„tulerit... Interea tamen, ait, ut ſuo ſatiſfaciat debito, pa-
„rochus eam interroget: an ſit capax examinet; deficienti-
„busque in hac parte ſuppleat; & ſi capax invenit,
„poterit ei S. Euchariftiam impartiri; licet in hoc caſu ter
„aut quater non audiverit in confeſſione; cui confeſſoris
„atteſtatio ſupplebit. In Actis Mediol. p. 601.

Hinc patet, quantam in Parocho ſollicitudinem requi-
ſierit S. Carolus, ut pueri ritè ad primam Communionem,
nè, à qua ſequentes non raro dependent, diſponerentur,
eamque curam principaliter Parocho incumbere iudica-
verit.

X. Porrò ſicuti Eccleſia ſollicita fuit, ut renati in Chri-
ſto hæc ſpiritualem vitam ſuam ſpiritualem nutri-
rent & foverent, ita non minus ſollicita fuit, ne contra
Domini præceptum *Sanctum daretur canibus*; & ne quis
indignus ad Sacramentum accedens; *iudicium ſibi mandu-
caret & biberet non iudicans Corpus Domini*.

XI. Hæc de cauſa jam pridem uſitatum fuit, ut ante
Communionem Diaconus magna voce, *terribili clamore*
[ut loquitur S. Chryſoſt.] *tanquam præco monentem & illens*
in altum. ſtans excelsus, & omnibus manifeſtus, clama-
ret Sancta Sanctis: quali diceret: *Si quis non eſt Sanctus,*
non accedat. Non ſolum, inquit, *a peccatis purus, ſed*
etiam Sanctus. Sanctum enim non facit ſolum liberatio à
peccatis, ſed etiam præſentia Spiritus, & bonorum operum
copia. Non ſolum, inquit, *volo vos à cæno eſſe liberatos,*
ſed albos eſſe & ſpecioſos. Hæc ille Homil. 16. in cap. 9.
Epiſtolæ ad Hebræos.

XII. Quamvis ritus ille jam à multis ſæculis, ſaltem in
Eccleſia Latina, in deſuetudinem abierit; nihilominus
juxta hodierna Ritualia ac Synodorum Decreta Parochus
tamquam alter *præco* populum ſapius admonere debet,
„qua præparatione, & quanta animi religione ac pietate,
„& humili etiam corporis habitu ad tam divinum Sacra-
„mentum debeat accedere. Ita poſt Rituale Romanum
„Rituale Mechlinienſe.

Quæ animi diſpoſitio requiratur, ut quis fruſtuoſè, &
frequenter committet, Theologorum eſt à Patrum Scri-
ptis examinare & determinare. Illud ad diſciplinam ex-
ternamque forum aliquatenus ſpectat, qui per Parochos
aliòve Sacerdotes à Sacra Communione, etiam invitè &
reluctantes repellendi & excludendi ſunt.

XIII. Juxta invariabile Chriſti præceptum in Apoſto-
lorum perſonis datum omnibus Eccleſiæ Paſtoribus, *No-
lite dare ſanctum canibus*, invariata hæcenus manſit Ec-
cleſiæ diſciplina, ut Paſtores quantum in ipſis eſt, & ipſa
temporum perſonarum ac locorum conditio patitur, alla-
borate debeant, ne adminiſtrando hoc ſanctiſſimum Sa-
cramentum contra Domini præceptum *dent ſanctum*
canibus.

XIV. Atque hinc imprimis non tantum priſtina ſed
etiam moderna diſciplina Eccleſiæ vult, ut à ſacra Com-
munionem repellantur publici & notorii peccatores, tamen
ſi etiam publicè eam petant.

XV. Modernum Rituale Romanum de hiſta loquitur:
„Arcendi ſunt [à ſacra Communionem] publicè in-
„digni, quales ſunt excommunicati, interditi, manife-
„ſtèque infames; ut meretrices, concubinarij, fœnerato-
„res, magi, fortilegi, blaſphemi, & alii ejus generis
„publici peccatores niſi de eorum pœnitentia & emen-
„datione conſtet & publico ſcandalo prius ſatiſfecerint.

XVI. Rituale Mechlinienſe uſdem penè verbis loquitur,
niſi quòd addat: *Etiã ſi fuerint Sacramentaliter*
confeſſi. Idipſum paſſim & Synodi Belgicæ inculcant. Syno-
dus Cameracenſis D. anno 1604. tit. 5. cap. 3. Ritua-
lium & Synodorum mentem quaſi exponens ait: „Publi-
„cæ meretrices, uſurarii, & alii *QUILIBET* peccatores
„notorii etiam *ſanctiſſimè* confeſſi, ad publicam Sacra-
„mentorum perceptionem non admittantur, niſi publicè
„pœnitentiam egerint, aut ex ipſorum bona converſa-
„tione, aliove legitimo modo, de vitæ emendatione
„publicè conſtet.

Huic conſonat Decretum S. Caroli in Inſtructionibus
pro Paſtoribus pro adminiſtranda in ſuis Eccleſiis Eucha-
riſtia. „Neminem peccatis publicis irretitum ad Com-
„munionem excipiet [Parochus] niſi prius ſcandalo pu-
„blico ſatiſfecerit, etiam ſi abſolutionis, à Pœnitentiæ
„aut Confeſſionibus etiam Regulatibus, acceptæ teſtimo-
„nium

„nium produxerit. In Actis Eccleſiæ Mediolan. pag. 601
„edit. 1683.

XVII. Ex hiſ perquam manifeſtum eſt, non tantum no-
minatim in Ritualibus expreſſos, tamquam publicos pecca-
tores à Communionem arcendos: ſed quoſcumque,
modò publici & notorii peccatores vere dici queant; quòd
& ratio & ipſe contextus Ritualium ſufficienter evincunt.

XVIII. Ad hæc ex hiſce Decretis conſtat, nequaquam
ſufficere, quòd hujusmodi publici & notorii peccatores
ſint *Sacramentaliter*, etiam *ſanctiſſimè* confeſſi; & *abſolu-
tionis acceptæ* teſtimonium habeant, ut publicè ad ſacram
Communionem admittantur; niſi publicè ſcandalo ſatiſ-
fecerint, aut publicè de eorum vitæ emendatione conſtet;
ne ſcilicet eorum ad ſacram Communionem admiſſio,
ſcandalo ſit iſis, quibus hæcenus eorum emendatio incog-
nita eſt. Unde de hiſce publicis peccatoribus, qui revera
converſi ſunt; ſed tamen nondum eorum converſio publi-
cè nota eſt, addit Manuale Cameracenſe: OCCVLTE
ipſis dari poterit [Communionem] ſi iſis qui ad ſunt nota ſit eorum
converſio.

XIX. Qui nomine *publicorum* peccatorum veniant, ex
communi hominum æſtimatione potiſſimum deſumen-
dum eſt qui pro publico habent, quòd quovis modo
publicè conſtat. Publicum enim ut poſt Bartholum alioſ-
que Canoniſtas notat Fagnanus ad Cap. VESTRA De
Cohabitat. Cleric. & mulier n. 52. eſt illud quòd omnibus
patet; item illud quòd ponitur in porta Eccleſiæ. Ad hoc
tamen, ait Fagnanus, ut aliquid dicatur publicum non
requiritur ut ipſius notitia ſingulorum auribus inculce-
tur, ſed ſatis eſt quòd publicè ſit actum.

XX. Cum ergò Ritualia atque Synodalia Decreta ve-
lint, univerſim *publicos* & notorios peccatores à Commu-
nionem repellere, manifeſtum eſt, à verbis & mente Eccleſiæ
omnino deviare, qui hujusmodi peccatores non prius vol-
lunt eſſe repellendos; quàm per ſententiam iudicis ſint ut
notorii peccatores declarati. Quali non poſſent per noto-
rietatem *facti* eſſe verè notorii & publici peccatores ante-
quam per ſententiam tales eſſent declarati. Nam forſan
ſcandalum non eſſet; aut *ſanctum* non daretur *canibus*, ſi
notorii peccatoribus *notorietate* facti adminiſtraretur publi-
cè Euchariftia: quamvis necdum per ſententiam Domini
Officialis ut tales condemnati eſſent?

XXI. Deinde ſi ſententia iudicis ſuper *notorietate* requi-
ratur, priuſquam *notorii* & *publici* peccatores à Communionem
ſint repellendi, facile quiſque intelliget, inutilia ac ſine ex-
ecutione futura omnia de illa de arcendis *publicis* pecca-
toribus Decreta, qui expendit, quàm difficile ſit, quam-
que ſumptuoſè ac tædioſè, vel unam hujusmodi ſententi-
am obtinere; quamque facile ſit futurum, ut hujusmodi
perditiffimi homines litem ad longum tempus imò ad ſi-
nem vitæ protrahant; ipſosque Paſtores vexent, & tædio
afficiant.

Additamenta ad Cap. 2. n. 19. & ſeq.

Reſolutio Doctorem Lovaniensium circa repulſionem publicorum peccatorum
à Sacra Communionem

Rituale Romanum, agens de ſanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento, habet hæc ſequentia: Fideles omnes ad Sacram
Communionem admittendi ſunt, exceptis iſis qui juſta ratione prohibentur. Arcendi autem ſunt publicè indigni,
quales ſunt excommunicati, interditi, manifeſtèque infames, ut meretrices, concubinarij, fœneratores, magi, fortile-
gi, blaſphemi, & alii ejus generis publici peccatores: niſi de eorum pœnitentia & emendatione conſtet & publico ſcandalo
prius ſatiſfecerint.

Item Paſtorale Mechlinienſe, agens ſimiliter de eodem Sacramento.

Ad publicam Communionem non admittantur publici peccatores, quales ſunt, uſurarii, meretrices, concubinarij,
fortilegi, excommunicati, interditi, aliique iſtius generis publicè infames, etiam fuerint ſacramentaliter confeſſi: niſi
de eorum pœnitentia & emendatione conſtet, & publico ſcandalo prius ſatiſfecerint.

Q U Æ R I T U R

An Paſtor, antequam poſſit ſe practicè conformare locis ante citatis, & alicui perſonæ publicè infami negare Sacra-
mentum Eucharistiæ [niſi prius de ejus pœnitentia & emendatione conſtet, & publico ſcandalo prius ſatiſfecerit] te-
neatur petere & exſpectare declarationem Domini Officialis, qua ille declaret perſonam illam publicè infamem.

R E S O L U T I O

Paſtorem non teneri petere & exſpectare declarationem D. Officialis, qua hic declaret perſonam eſſe publicè infamem,
antequam poſſit ſe practicè conformare locis in caſu allegatis, tribus potiſſimum rationibus evinci poteſt.

Prima quidem petitur ex ipſis verbis tum Ritualis Romani, tum Paſtoralis Mechlinienſis. Vtrumque enim præcipit
à Sa-

a Sacra Eucharistia arceri publice indignos, manifesteque infames, publicos peccatores, nisi de eorum poenitentia & emendatione constet, & publico scandalo prius satisfecerint.

Arceudi ergo sunt publice indigni, publici peccatores. Publicum autem, ut post Canonistas notat Fagnanus, est notum generale & verificatum in notorio, & quandoque in fama. Unde notorium potest dici publicum, sicut id quod constat per famam ut est textus in cap. tua de cohabit. Cler. & mulier. Unde, ut inquit Bartolus, publicum est illud, quod omnibus patet. Item illud, quod ponitur in porta alicujus Ecclesiae, dicitur esse publicum. Ad hoc tamen subdit Fagnanus, ut quid dicatur publicum, non requiritur ut ipsius notitia singulorum auribus inculcet, sed satis est quod publice sit actum.

Manifestum similiter dicitur, quod est notorium, ut cum Fagnano docent Canonista, & ipse communis nominum sensus comprobatur.

Cum igitur publicum & manifestum dicatur quod est notorium, evidens est, quod juxta praedicta decreta ab Eucharistia arceri sunt publice indigni, manifesteque infames ac publici peccatores, tamen per D. Officialis sententiam ut tales non sint declarati: quandoquidem nihil certius sit, quam aliquem posse esse notorie infamem aut notorium peccatorum ante iudicis sententiam. Hinc jurisconsulti post glossam, notorium distinguunt in notorium Juris & facti. Notorium Juris dicitur de quo aliquis condemnatur, vel est in Jure confessus, quoniam vero sunt notoria facti, his verbis exprimitur:

Quae vel nemo negat, populo vel teste probantur, Vel se subjiunt oculis, notoria dicuntur.

Secunda ratio assertionis petitur ex mente seu scopo dictorum, qui alius non est, quam publicam Sacramentorum, praesertim Eucharistiae, profanationem, & publicam fidelium scandala impedire. Quis vero nesciat, scandala publica sacrilegamque Sacramenti profanationem proventur aequè per admissionem publicè peccantium, manifesteque infamium, sive sint publici notorietate facti sive notorietate juris? Quapropter nulla distinctione facta Canonice decernunt Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda Cap. 1. poenit. & remiss. Nota, inquit ibidem Glossographus, quod qui publice peccat, publice puniendus est. Imò subdit, qui publice peccant, publice corripantur, ut vitetur scandalum.

Nonne quoque manifestè notorium notorietate facti, cum notorio notorietate juris eodem loco habent Canonice, dum utrumque excommunicatione notatum aequa vitandum esse denuntiant, extravag. ad evitanda Martini v. in Conc. Constanti?

Sicut ergo Canonice peccata manifesta indifferenter publice punienda dicunt, ut scandalum vitetur, evidens apparet, quod similiter juxta praedicta decreta ab Eucharistia arceri debeant omnes peccatores modo notorii seu publici sint, nisi scandalo publico seu notorie satisfecerint. Supponendum enim est, decreta illa conformiter ad Sacros Canones edita fuisse.

Juvat naturalem verborum istorum sensum consuetudo optima legum interpretum: haec enim praxis illa apud Pastores, praesertim magis zelosos usitata fuit, ut publicis & notoriis peccatoribus, quousque scandalo satisfecerint, negaverint Eucharistiam, nulla D. Officialis expectata sententia.

Tertia denique superioris assertionis ratio petitur ab absurdo quod ex opposita opinione sequeretur, Quis enim inficias eat, nisi qui tergiversationes & tricas licum ignorat, quin si sententia D. Officialis requireretur, priusquam manifestè infamis aut publicus peccator ab Eucharistia removeri posset, inutilia prorsus hae sanctissima decreta reddenda sint.

Imprimis quid facilius alicui peccatori publico per hodiernas protelationes, & faciles multiplices appellaciones etiam a sententia inter locutoris, quam litem ad annos plurimos, imò ad vitam finem protrahere?

Secundo quis non videat quam difficulter Pastor quispiam his decretis se sit conformaturus, dum videt se non posse pertingere ad finem, nisi plerumque duram & odiosam litem sustinere cogatur.

Dum Christus Dominus mandat, Nolite sanctum dare canibus, non requirit ut per sententiam Iudicis in foro externo sint declarati canes. Similiter dum decretis sive Pontificis Romani, sive aliorum Episcoporum praecipitur, Sacram Communionem denegare mulieribus, quae peccus, humeros aut brachia habent denudata, non exprimitur requiritur interveniat sententia declaratoris Iudici fori externi, quia haec illave determinata persona iudicetur non satis esse cooptata ut eo titulo excludatur a Sacra Communione. Sufficit ergo ut Sacra Communitio publicè petenti denegetur, quod ejusmodi peccata sint publica eo facto, licet non per sententiam Iudicis.

Hinc S. Thomas in 4. dist. 9. art. 5. in resp. ad 2. quaest. dicit, si sit suspicio procedens ex fama publica non debet ei dari Communitio Eucharistia peccatori neque in occulto neque in manifesto. Sufficit ergo S. Thomae ut peccatori Communitio denegetur, quod de ejus vita criminosa extet publica fama.

Ita responsum [salvo meliori] Lovanii hac prima Septembris anni 1685. & signatum erat.

Franciscus van Viane S. Th. Doctor & Professor Regius.

Henricus Scaille S. Th. Doctor & Professor Regius.

Gummarus Huygens S. Th. Doctor.

Nat. Chasart I. V. Doctor & Ex professor Primarius.

I. Huens I. V. Doctor & Professor Ordinarius.

Zegerus Bernardus van Espen I. V. Doctor & SS. Can. Professor.

Resolutio Theologorum Mechliniensium conformis

CASUS

Cajus a duobus & amplius annis continuo conversatus est cum Titia, habitant in mutua vicinia; Cajus diu nocteque frequentavit domum Titia manendo ferè continuo ultra medias, imò ferè integras noctes, & econtra Titia saepius quocumque tempore diurno domum Caj, idque utrimque talibus modis ut in vicinia Titia & Cajus laborent publica infamia in materia luxuriae imò, ipsimet famuli & ancillae Caj saepius apud plures vicinos conquesti sunt de infamitriusque conversatione: Titia verò cohabitavit matri suae scienti conversationem illam, ac dissimulanti, imò apud plures personas censetur mater illi conversationi consentire ac filias prostituere secundum morem publicum. Titia ac mater super ista conversatione & publica infamia bis à Pastore monitae sunt similiter & Cajus semel à Pastore monitus, & secunda vice Pastorem monentem ultimi mensis Aprilis die sexta noluit audire loquentem, & minatus est [si adhuc recedat moniturus] domo educere.

QUERITUR I.

An Pastor possit admittere Cajum aut Titiam ad communionem Paschalem antequam reparaverint scandalum, QUAE.

Queritur II. An Pastor possit admittere matrem Titiae ad communionem Paschalem antequam similiter reparaverit vel absterget infamiam praedictam?

Queritur III. An si Cajus, Titia, aut mater ejus ita aegrotarent ut debeant eis administrari Extrema Sacramenta, Pastor ita facere posset antequam reparaverint scandalum?

Queritur IV. An Pastor ad in supradictis casibus neganda Sacramenta teneatur expectare sententiam D. Officialis qua declarat praefatas personas esse infames & privandas Ecclesiae Sacramentis?

Queritur V. Quamdiu Cajus & Titia debeant abstinentiae à mutua conversatione, & quomodo reparasse scandalum antequam admitti possint ad Ecclesiae Sacramenta?

Infrascripti, viâ positione Casus supra scripti, respondent supposita notorietate infamiae publicae, de qua in casu.

Ad primum Negative.

Ad secundum similiter.

Ad tertium Negative, juxta Rituale Romanum in Rubrica de administratione Sacramenti Eucharistiae.

Ad quartum Negative.

Ad quintum. Quoad tempus & modum, relinquatur prudentiae Pastoris.

Ita resolutum die 9. Aprilis 1688.

Et erat signatum

I. CUYPERS. I. LACMAN.
G. WILT. I. OPSTRAET.

P. BERTRAD. I. F. RICQUAERT.
BAERTS.

Decretum Episcopi Gandensis inhibens Regularibus am publicam, quam occultam Eucharistiam

Delationem ad infirmos extra sepius suorum Monasteriorum.

Eugenius Albertus Dei & Apostolicae Sedis Gratiâ Episcopus Gandensis, & Omnibus ac singulis Decanis, Pastoribus, Ecclesiasticis, & Fidelibus nostrae Diocesis, salutem & benedictionem à Jesu Christo Domino nostro.

Um Paterna & Pastoralis sollicitudine in mentem circumspicimus, quid causa Divinam justitiam provocet, ut plagis usque adeo acerbis Belgium hoc nostrum affligat, & porro graviora minetur, primum ac precipuum occurrit impietas irreverentia, quae iam passim in templis, non sine gravi scandalo & offensione perpetratur sub tremendo Missae Sacramentis, aliisque Divinis Officiis, patente etiam Sacrosanctâ Eucharistia; & exiguis ac penè nullis honor ac cultus qui Jesu Christo, Dei Filio ac Redemptori nostro, sub illa realiter latente, exhibetur; signanter dam ad aegrotantium desertur, eo enim corruptela abusus hic excrevit ut promiscue jam & admodum facile, Sacramentum istud requiratur feraturque secreto & occultè, absque ulla exteriori veneratione aut caremonia, & id sub levibus fideisque coloribus, ob privatam aliquam, fucam sive devotionem, aut respectus prorsus humanos; qua profecto omnia apud veros Christianos nullo loco esse deberent. Cumque haec graviter adversentur non solum honori qui Persona Divina Jesu Christi Salvatoris nostri debetur, verum etiam antiquis ac generalibus Ecclesiae decretis, aliisque particularibus per Praedecessores nostros sancitis ac editis.

Hinc, ut debito officio ac conscientia nostra satisfaciamus, & pro viribus studiosè curemus ac provehamus cultum illum & reverentiam quam fideles cunctos, semper & ubique Augustissimo Eucharistiae Sacramento oportet exhibere (dum interim de medijs opportunis ac efficacibus cogitamus quibus praefata scandala insolentia & confabulationes in sacris adibus compescantur) nec non ut Divinum Numen sacrilegii istiusmodi lacessitum propitium reddamus, Decernimus ac praecipimus omnibus & singulis hujus Diocesis, ac praesertim civitatis Gandavensis Pastoribus, aliisque Sacerdotibus, ne unquam, sive nocte, sive interdiu Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum clanculum & latenter ad infirmos deferant, quacumque tandem de causa, nisi à Nobis, aut Archiepiscopo nostro prius examinanda & approbata: sed teneantur illud manifestè ac honorifice portare, servatis ritibus ac caremoniis per Pontifices, Concilia & Praedecessores nostros praescriptis & statutis; idque sub poena arbitraria.

Et quandoquidem solis Pastoribus aut eorum vicis gerentibus ac delegatis, de jure, officio & ex Concilio Tridentino etiam declaratione, sess. 24. cap. 13. de reform. competet Sacramenta administrare: Confidimus, & quantum opus est mandamus, ne ullus Regularis, cuiuscunque Ordinis aut Instituti, sibi arroget Sacrosanctam Eucharistiam latenter curvis infirmo conferre, extra septa sui Monasterii, ne quidem ut ex devotione communicetur: aut alias cogemur, potestate ac medijs à Deo & Ecclesia Nobis concessis, efficaciter id impedire.

Atque ut haec Constitutio curvis innotescat, injungimus omnibus Pastoribus & Concionatoribus, etiam Regularibus, ut tribus proximè sequentibus Dominicis diebus, illam pro Concione praelegant, illisque observantiam Fidelibus sedulo inculcent: Denuntiant quoque verbis nostris, cum qui ex negligentia, aut frivolo pretextu, praetermissis ritibus saluti publicae, & ut Catholicos decet, recipere, & ita obierit, de Fide suspectum habendum fore, si amsi Sacramentum Eucharistiam privatim à Regulari quopiam aut alio Presbytero percepisset.

Obtestamur denique Fideles universos ac singulos, quos Spiritus Sanctus Nobis regendos commisit, per nimiam illius Charitatem qui carnem & Sanguinem suum non modo pro ipsorum salute profudit, sed etiamnum quotidie in spirituali cibum ac potum munificentissime elargitur; ut in cordibus suis vivam illam Fidem excitent, qua quotquot sunt sinceri Christiani firmiter credere tenentur, ipsum verè ac realiter existere in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento; studeantque illud quanto valens maximo cultu ac honore exteriori prosequi, dum in publicum profertur, & signanter ad aegrotantium edes; postponentes omnem humanum respectum sumptuum ferendorum pretextum (nam hi saepe saepius ad sui ostentationem, verius, quam in Dei honorem assumuntur) aliisque colores, qui revera non nisi fuci sunt & techna quibus Satanas, etiam per suos, perpetuo molitur splendorem gloriae Redemptoris nostri Jesu Christi, cui insensibilis invidet, offuscare & extinguere.

In qua ut ferantur pronius & alacrius, praeter Indulgentias à pluribus Pontificibus, Episcopisq; concessas iis, qui Sacrosanctam Eucharistiam, dum ad aegros deferunt, lumine cobonestabunt, vel alias comitabuntur; concedimus quadraginta dies similitum Indulgentiarum illis qui umbellae seu Baldachino portando manus conferent: atque ut id obsequii, Jesu Christo Domino ac Regi nostro haud dubiè acceptissimi per viros spectatores praestetur, exoptamus summo opere, & quam possimus enixissime requirimus. Datum Gandavi in Palatio nostro Episcopali 17. Maji 1688.

Signatum

EUGENIUS ALBERTUS Episcopus Gandavensis.

Inferius habebatur,

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi praefati.

Et signatum erat.

A. VAN WERCHTER Secret.

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

Et

Judi-